



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**In Vaticinia Isaiae, Prophetæ Clarissimi, Paraphrasis,
Heroico carmine conscripta**

Carpenteius, Joannes

Antverpiæ, 1588

Cap. 58.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68688)

239

VATICINIORVM ISAIAE
LIBER SEPTIMVS.



VRVM ubi te pax alma, Dei certissima
proles,
Aut qua te tandem fessus regione requi-
ram?

Non mihi te fasces populi, non purpura regum
Inuidiosa dabit, nec te Mauortia castra,
Insanum-ve forum, nec litigiosa recepat
Curia: Tu potius dulces ante omnia Musas
Diua colis, musas non ex Helicone canentes
Stupra Deum, cades hominum, & fera bella gigantum;
Sed qua palmiferi sacras Iordanis ad undas,
Aut super Hermonij iuga roscida matutini,
Sapius Amosidae cytharam mouere sonantem,
Et populis responsa Dei cecinere futuris.

Cap. 58.

Hic Isaias
non prophe-
tam, sed con-
cionatorem
agit.

Ergo per Hebraeas fama celeberrimus vrbes
Dum ventura canit, caelo vox missa sereno
Perculit his vatem iam tum quoq. certa petenti
Fata recludentem populo: Quin, hoc age, (dixit)
Et meus hic populus, qua sunt praesentia, tandem
Agnoscat, veniamq. petat, sua crimina fassus.
Iamque age, clarisonam quantum potes exere vocem;
Nec lateri parcas, clama, increpa, & argue coram,
Clangentisq. instar litui, per compita, perq.
Vrbes & vicos, scelus exitiale meorum,
Degeneresq. palam mores vulgare memento,
Isacidumq. domus opprobria detege faeda.
Nam licet officij videantur velle videri
Obnixè memores, si me per templa, per aras
Sacrificis quarant fœta pietate diebus,
Perq. scholas, & per collegia Rabbidorum
Discursent, tonat hic ubi sede magister ab alta
Turgida nescio quis sensuque carentia verba,
Méque volubilibus quis sim vestigat elenchis,
Consiliq. modum nostri, mentisq. vigorem
Fando tenere putat, stat plebs arrecta, siletq.;
Ingratus tamen ille mihi labor omnis habetur;
Prorsusq. inuisus: nam quis me fallere possit,
Et caelum & terras atque infera regna videntem?
Et tamen hoc hominum genus intolerabile, sese
Passe putant nobis simulato imponere vultu,

Cap. 58.

1. Clama, ne cesses,
quasi tuba exalta vo-
cem tuam, & annun-
tia populo meo scelerum,
& domui
Iacob peccata eorum.

2. Me etenim de die
in diem quaerunt, &
scire vias meas volūt:
quasi gens quae iusti-
tiam fecerit, & iudiciū
Dei sui nō dereliquit:
rogant me iudicia
iustitiae: appropin-
quare Deo volunt.

Ors.

Ore p̄j, scelerati animo, quibus est sua cordi
Gloria, nec minus est odio mea: quidquid ab arte
Iamdudum edocti pratexant, non secus ac si
Omnia præstiterint legis præscripta seueræ.
Exprobrare audent, & in os consistere contra,
Iusta repositos præsumpta præmia palma.

3 Quare ieiunamus, & non aspexisti: humiliatumus animas nostras, & necisisti? Ecce, in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.

3 Cur (aiunt) tristi ieiunia longa labore
Perpetimur? corpusque fame, genuumque labore,
Et teneros oculos lacrymis corrumpimus vdis?
Quando nec fletus, nec te ieiunia tangunt
Nostra, nec inculti vultus, artusque iacentes,
Respicere ut saltem ista velis nutuque probare?
Vos ego, respondi, non vllò dignor honore;
Mèque penes nulla est istius gratia facti,
Vt quidquam tali pro sobrietate rependam.
Ora modis, esto, pallent liuentia miris,
Labentisque gena fletus imitantur: at istam
Non maciem fractasque genas, & languida membra
Subtracti fecere cibi, sed vestra libido
Immodicusque furor, mentisque, in fracta voluntas
Indomitæ, nullog, potis mitescere freno.
Vos dapis immemores, ut dicitis, atque Lyæi,
Alter amor violentus agit, situs altera pungit,
Auri sacra fames, & amor sceleratus habendi,
Crudelisque facit, ne quas prece supplice voces
Debitor exanguis, neruoque addictus, & herens
Fundit, inhumanas unquam admittatis ad aures:
Immò etiam, quæ debuerant pro tempore festo,
Dum sacrum colitis, dum ieiunatis, omitti

4 Ecce, ad lites & contentiones ieiunatis, & percussis pugno impie. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, ut audiatur in excelsis clamor vester. 5 Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & sacco & cinerem sternere? nunquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino?

4 Arma fori, repetita vigent, litæque mouentur
Olim intermissæ, causisque nouantur iniquis.
Nec tantum arma fori resonant arguta loquacis,
Bella etiam ferro pugnisque parantur apertis,
Et pulsatur egens, & vi subuertitur in sons.
Ne mihi, ne quaeso ieiunia talia posthac
O miseri iactate, graui mihi verberat aures
Cum sonitu, calumque, quatit, miserandus egentum
Clamor, & oppressæ tristis querimonia plebis.
Non hæc sacra mihi, non hæc libamina posco.
3 An tu, quod iubeas mensas remouere, merumque
Fontana mutes lympha, certisque dierum
Curriculis iteres leges potusque, cibique,
Pallidus, & sacco cinctus, vultusque remissos

Pulvere

Tales erant Pharisæi, in quos hoc loco inuenitur, & hypocritæ, de quibus apud Matth. cap 23. & Lucam 11.

*Pulvere conspersus, tibi ritè videbere numen
Demeruisse meum? Non qui summittere colla
Fusus humi didicit, variisque inflectere gyris
Huc illuc, torti in speciem de vimine cycli,
Ritè litat; nec enim solo, quod rere, sacrantur
More dies; puro sed religionis amore,
Et veri studio, & pietatis simplice cultu.*

*6 Quisquis es acceptos igitur qui quæris honores
Ferre Deo, quæ nunc loquor impiger arripe iussa:
Eripe te duris, quantum potes, eripe vinclis
Quæ vetus impietas nexu te detinet arcto;
Tum liber, vinctos tibi obæratosque vicissim
Solve lubens, duroq; leua sub fasce gementes,
Signaq; syngraphaq; & memores discerpe tabellas,
Fænoris extorti testes diraq; rapina:*

*7 Differtog; penu, cellaq; patente, popello
Diuide ieiuno cerealia munera fruges;
Pauperibusque vagis, terraque iacentibus vda,
Hospita tecta aperi, nudosque operire memento,
Et qui sis memor, & quo semine factus, eadem
Conditione satos durus ne despice fratres.*

*8 Hæc si præstiteris, tua fama serenior horis
Erumpet roseis, nitidog; illustrior astro
Præueniente diem, cum matutina pudicum
Exerit os Aurora, iubarq; accendit Eoum:
Tum quidquid scelerum vestris infederat olim
Sensibus, & quæcunque mala contagia noxæ
Tempore serpebant, penitusq; in pectus abibant,
Protinus abscedent, & iam magis, ac magis omnem
Tam citò depelli mirabere pectore pestem,
Tæque statim absterfo reualefcere vulnere posse.*

*Non tamen istud opis vestra, nec tanta facultas
Insita, sponte sua Deus, haud pietate merentes,
Non intellecto satis unquam munere donans,
Laudatog; satis, vos tandem in pristina reddet;
Iustitiamq; ducem vobis vitæq; magistram
Demittet cælo, vnde salus, vnde omnis opum vis,
Gloriaq; vnde operum stabilis fiducia surgit;
9 Qua tandem arrectus, terrisq; ablatas, ad auras
Niteris superas, nunquam irrita vota daturus:
Quippe Deus, vix dum trepidantia labra mouentem
Præueniet, iam iamq; adsum, iam desine (dixit)
Ecce adsum, quid me coram præsentem tremiscis?*

h

Ergo

Abstinencia à
cibo his con-
iuncta operi-
bus grata est
Deo: Nec
enim prodest,
(ait Hierony-
mus) vacuum
portare ven-
trem, & esca-
cere quæ Deo
displicent.

Per gratiam
voluntas fa-
natur, & illu-
minatur in-
tellectus.

Quæ hic di-
citur nostra
iustitia, dici-
tur à Paulo
cap. 3. ad
Rom. Dei iu-
stitia, quia ab
eo nobis do-
natur.

6 Nonne hoc est ma-
gis ieiunium quod ele-
gi? dissolue colliga-
tiones impietatis, sol-
ue fasciculos depri-
mentes, dimitte eos
qui contracti sunt li-
beros, & omne onus
dirumpe.

7 Fræge esurienti pa-
nem tuum, & egenos
vagosque induc in
domum tuam: cum
videris nudum, operi
eum, & carnem tuam
ne despexeris.

8 Tunc erumpet quasi
mane lumen tuum, &
sanitas tua citius orie-
tur, & anteibit faciẽ
tuam iustitia tua, &
gloria Domini colli-
get te.

9 Tunc inuocabis, &
Dominus exaudiet:
clamabis, & dicet, Ec-
ce adsum. si abstuleris
de medio tui catenam,
& desieris extendere
digitum, & loqui quod
non prodest.

10 Cum effuderis
esurienti animã tuã,
& animam afflictam
repleueris: orietur in
tenebris lux tua, & te-
nebræ tuæ erunt sicut
meridies.

11 Et requiem tibi
dabit Dominus sem-
per, & implebit splē-
doribus animam tuã,
& ossa tua liberabit;
& eris quasi hortus ir-
riguus, & sicut fons
aquare, cuius non
deficient aquæ.

12 Et ædificabuntur
in te deserta seculorũ:
fundamenta genera-
tionis & generationis
suscitabis: & voca-
beris ædificator se-
pium, auertens semi-
tas in quietem.

Ergo age (namq; piis posita est vberissima merces)
Iam melior, laqueos vncoſq; grauēſque catenas,
Proijce, ſauitia monumenta nefanda prioris;
Parce pijs in fonte manus ſcelerare cruore;
Simplice ſis mitiq; animo, ſis cultor honeſti,
Contemtorq; auri; nec eme ambitioſus honores;
Nec tu vende rapax, ſit ſobria lingua, modũque
Infandi ſandiſq; ſciat, ſit dextera diram
Larga famem miſerorum hominum ſaturare ſitimq;
Diuitiaſq; pijs effundere prodiga in vſus,
Sit clemens oculus, nec liuidus obliquato
Lumine (grande nefas) alienos ſpectet acervos,
Nec crudele tuens atroxq; iacentis iniquam
Rideat exprobrēt. ve vicem: ſit denique rectus,
Per ſimiliſq; mei, quo res hominumq; deũque
Tempero, rex iuſtis iniuſtiſque omnibus idem.
Tum tibi verſanti in tenebris lux protinus orta
Clara magis, quã ſol medio cum altiſſimus orbe eſt,
Luſtrabit puram pulſa caligine mentem:
" Tum tibi ſe radiõſque ſuos, pax munus Olympi,
Pax hilaris, placidęq; quies gratiſſima mentis,
Oſtendet, nebulasq; animi fulgore coruſco
Diſpeller: nouatum tibi gaudia pectus inibunt,
Oſſaq; per, ſtupidoſque artus, tenuatq; membra,
Inuictę vires, roburq; calorq; recurrent.
Vt quę herba ſiccis quęcunq; ſeruntur in hortis,
Sedula ni nutrix fuſas radicibus imis
Sufficiat vires oculiãque pabula tellus,
Languſcunt primi moriturę ſolis ad æſtum:
Sic tuus iſte vigor, ne noſtri numinis aura
Deſiciente cadat, tandem & ſua culmina ponat;
Ipſe ego te noſtros tranſlatum nuper in hortos,
Semper alam, ſemper ſæcundo rore fouebo.
" Mactę animo virtute iſta, tu ſæcla nouabis
Aurea, tu lapſam iam dudum reſtitues rem.
Tu loca vaſta feris inſeſſa draconibus olim
Deductis toto replebis ab vrbe colonis.
Tempora iam auſpicijs per te melioribus ibunt,
Aduentũq; tuo felix renouabitur ætas,
Qualem non vidit veteris iuſtiſſimus aui
Abramus, nec dux populorum Moſes, & ipſe
Iuſtus, amãſque mei, nec rex atque optimus idem
Fates, ſeptenis prælatus ſtratibus, atque

Docet ciuili-
ter & huma-
niter cũ ho-
minibus, qui
buſcũ nobis
eſt negotium,
agendum,

Hæc & ple-
raque quæ ſe-
quuntur, poſ-
ſunt ad Chri-
ſtũ pertinere.

Dee

De stabulo ad solium vix puber missus eburnum.

Quinetiam sepes tenera custodia vitis,
Arcendo quondam pecori bona, noxia furi,
Diruta nunc, denitusq; sua cum stirpe recisa,
Floridior solito, te, te instaurante resurget,
Nec pecori, nec iam nocturno peruia furi.

¹³ Maecte iterum, Numenq; sacras veneratus ad aras
Rite meum, fuge solennes temerare nefando
More dies, sensusq; tuos rationis inanes
Velle sequi, vera irrisor pietatis acerbus:

Ast animi placidus, parcus sermonis, & equum
Iusq; & fas cole precipue, Dominumq; potentem
Iustitiae reuerenter habe: tum cognita paucis
Miranti tacitum tangent tibi gaudia pectus.
Tum raptus terris sublimis ad astra ferere,
Iam nihil humana metuens ludibria sortis.

Vnde tuis subiecta oculis, quae mobile vulgus
Summa putat, nihil ipse tuo sub corde caducum,
Nil mortale fouens, faelix tutusq; videbis.

¹⁴ Namq; ego te (ne sperne Deum no vana loquentem)
Isacide patris solio sceptrisq; reponam
A Eternis; nam fixa manent quae fatur ab alto
Os Domini, nec dura aui sub lege tenentur.

Cap. 59.

¹ At vos, ne rata sint facitis quae spondeo, crimen
Vestrum est si poena citius, si praemia votis
Seriùs eueniunt; nec enim mihi dextera neruis
Languida contractis adeo vsque repente refrixit,
Vt non sim, qui semper eram, neque amq; precantes
Audire, & patrios saluis redhibere penates;
Idem sum, qui saepe fui, nec mutor in horas:

² Nec mora, nec culpa est in me: vos crimine vestro,
Concentum nostrum, quem me fore teste perennem
Iurastis, miseri rupistis, & interiecto
Obice coniunctum vobis male dissociastis;

Deniq; vt occulerem vultus, auresq; querelis
Obstruerem, auctores per facta nefanda fuistis.

³ Quippe manus vestrae digitiq; cruore piorum
Stillant innocuo, lingua est armata veneno,
Labraque nil impura nisi mendacia voluunt.

⁴ Nullus in hoc populo iustiq; bonique seuerus
Exactor, nullus qui rectas aduocet artes,
Consiliis nullus qui leges, iustitiamq;
Suscipiat vera fortis ratione tuendam:

h 2

Omnes

Metaphora
sumta à re ru-
stica. Scriptu-
ra autè tran-
fert ad eccle-
siam Dei, cu-
ius sepes est
vnitas fidel;
qua dissipata,
mordebit co-
luber.

¹³ Si auerteris à sab-
batho pedem tuum,
facere voluntatē tuā
in die sancto meo, &
vocaueris sabbathum
delicatum, & sanctū
Domini gloriosum,
& glorificaueris eum
dum non facis vias
tuas, & nō inuenitur
voluntas tua, vt lo-
quaris sermonem:

¹⁴ Tunc delectabe-
ris super Domino, &
sustollam te super al-
titudines terrae, & ci-
babo te hereditate
Iacob patris tui: os
enim Domini locu-
tum est.

Cap. 59.

¹ Ecce, nō est abbrevi-
ata manus Domini
vt saluare nequeat,
neque aggrauata est
auris eius vt nō exau-
diat:

² Sed iniquitates ve-
stre diuiserunt inter
vos & Deum vestrū,
& peccata vestra abs-
conderunt faciē eius
à vobis ne exaudiret.
³ Manus enim vestrae
pollutae sunt sangui-
ne, & digiti vestri ini-
quitate: labia vestra
locuta sunt menda-
cium, & lingua vestra
iniquitatem fatur.

⁴ Non est qui inuo-
cet iustitiam, neque
est qui iudicet vere:
sed confidit in nihili,
& loquuntur vanita-
tes: conceperunt labo-
rem, & pepererunt ini-
quitatem.